



P R A E F A T I O.

Lobilissime L I S T I , sunt benè multi , qui dicunt me Oratorem esse ineptum . Et verum dicunt . Nam ut ut anxiō desiderio quætam , verba tamen non invenio , quibus describere possim ingentes animi tui dotes . Alii multa dicunt & non præstant , tu multa aut cogitas aut præstas , & pauca dicis . Integer vitæ scelerisque purus , ceu alter Ulysses , tot Europæ regnis perlustratis , tot totius orbis arcana nosti , & nisi fallor tacite rides . Ride quoque ad ineptias Scholasticas . Dicerem quidem quantum Tibi debere velim , pro effectu quo me amplecteris . Sed Orator ineptus sum . Quicquid igitur hominem gratum aut loqui aut sentire fas judicas , id tu ipse pro magnitudine ingenii tui concipe , ori meo præscribe , & humeris his impone , quantum ferre possunt .

Celeberrime B O X H O R N I , ut te debito modo laudem , non aliam quam tuam mihi opto eloquentiam . Tu supra ætatem , supra seculum tuum sapis . Romanæ eloquentiæ & sapientiæ laudem tibi soli destinâsse videtur , Princeps literatorum Magnus Heinlius . Inter felicissimos numero diem istum , quo Bataviam petii propter Lugdunum , Lugdunum propter Te , Te propter Heinlium . Quanquam sat magnis fœcundi tui ingenii documentis famam tuam æternitati dedicas , attamen conabor propediem , ut etiam me teste sciatur res publica literatia , famam tuam meritis minorem esse . Musæ omnes ubera sua tibi admoverunt CITO . Ut igitur omnis earum gloria salva maneat , id unum precor quotidie , ut te Parcæ infestent SERO . Memorem beneficiorum tuorum animum , nolo tibi hinc vendicare . Nostri enim ingenium meum candidum potius esse quam loquax . Et jam dum omnia mea tibi debeo .

A 2

Tu

P R A E F A T I O.

Tu quoq; corpore animoq; Magne PENSIN , breviter à me alloquendus es. Præter alia naturæ & fortunæ privilegia , quibus cœlū te dota vit, à primis Academicæ nostræ cōversationis annis, veneratus sum singularem tuam vernaculam & minimè coactam Suidam. Qui arcem aliquam basilicam præterit , protinus cogitat , ibi non habitare rusticū. Ita ego credo naturam ipsam , heroicā tuā corporis staturā indicare voluisse , quantis te animi dīvitiiis nobilitaverit. Potuisset tibi hæc Hassia nostra satis nobilem assignare virtutem , nisi fatis sua quædam libertas aut quasi necessitas esset. Intērim neminem credo Marpurgi vivere , cui non æquè grata sit felicitas tua ac sua propria. Det tibi Deus, ætate , quā mereris , servet animum , quem dedit , augeatque fortunam , quā te cumulare exorsus est. Ita voveo cum Græcis & Barbaris , sapientibus & insipientibus , qui Marpurgi vivunt.

Clarissime DIETERICE , Patrum nostrorum memoria , cum Hassiam ignorantiae satietas caperet , magno juventutis emolumento , eloquentiæ studia in scholis fervore voluit , optimus parentis tuus , cuius fama & scripta pari passu ambulant per Europam. Eum intueatur juventus & discat , quid possit vernaculae facundiæ majestas in pectore sinceri & orthodoxi Theologi. Et nuper parentationem vidi , quam Sororii mei parenti , Dn. D. Gregorio Horstio , Ulinæ recitasti , in qua testaris , Te paternam eloquentiam strenuè æmulari. Tarda & nostris nepotibus nota sit illa dies , quæ idem officium aut tibi aut magno parenti præster. Cæterum cum & sanguinis jure & affectuum similitudine jam pridem impulsus fuerim ad te amandum , volui aliquem constantis amoris in Te mei erigere cippum publicum. Dum vero per aliorum negotiorum varietatem , graviora monumenta literaria absolvere non potui , ineptias has offerre Tibi volui , ut materiam ridendi præberem , donec alia sequentur , quæ fortasse alios excitabunt affectus.

Tandem patroni & amici optimi , suscipite has meas ineptias fronte serenâ. Nostis , me pectoris esse boni & linguae liberae , nec multum curare eos , qui Curios simulant & Bacchanalia vivunt. Jupiter apud Homerum non semper de bellis Græcorum deliberat ,

sed

P R A E F A T I O.

5

sed interdum cum Junone ludit, interdum conviviis Æthiopum ad-
est, interdum loripedem suum aspicit & ridet effusissimè. Nautæ
non semper injuriis Neptuni exercentur, sed interdum reduces in
partiam in littore maris sedent suum: que *Wilhelmus de Nassavren*, vel
de puerâ Vesaliensi altissimâ voce canunt. Quotusquisq; mihi vitio
verteret, si & ego seria studia hujuscemodi jocis nonnunquam distin-
guo? Nemo hic in jus me vocet. Nullius famam contamino, ita
me bñna fama amet. Vitia tantum Oratorum rango, non secus ac
boni concionatores solent, qui dum aliena vitia numerant, sua
quoque includunt. Quod si autem animalibus quibusdam alpha-
betariis, stylis satyrici naturam non intelligentibus, placuerit vene-
num è flore sugere, tum ea bonis avibus ablegabo non ad fustitu-
dinas ferricrepinas insulas, sed ad te, seculo tuo major B O X H O R-
N I. Legant Orationem tuam septimam, quam Lugduni recitabas,
de satyrica veterum sapientia, ubi invenient accommodum strumæ
sua diphaphum. Vivimus o B O X H O R N I sub sceptro Apollinis, in
regno libertatis, ubi personis parcere & de vitiis dicere fas justumq;
est & omnibus leculis fuit & erit. Satyra neminem offendit, nisi
qui ei argumentum præbet. Valete. Dabam Marpurgi Cattorum,
xv i. Jul. clo clo xxxix.

P R O G R A M M A.

JOHAN. BALTHAS. SCHUPPIUS.
Eloquent. & Historiar. Professor
Ordinarius.

OMNIBVS BONÆ MENTIS STVDIOSIS,
IN ACADEMIA MARPVRGensi

S. P. P.

Ratio est, qua homines distinguunt à bestiis. Cultus rationis,
sapientes facit. At cultus Orationis, inter ipsos sapientes
discrimen facit. Olim Musarum sorores Orationis Domi-